

Die Urkunden Lothars II., 2

In nomine omnipotentis dei et salvatoris nostri Iesu Christi. Lotharius divina preveniente clementia rex. Dignum est, ut regalis celsitudo procerum suorum petitionibus tanto libentius annuat et annuendo ad effectum perducat, quanto eos viderit ac noverit in suis obsequiis persistere efficaces. Idcirco noverit omnium fidelium sanctae dei aecclesiae ac nostrorum presentium videlicet et futurorum industria, quia Hucbertus venerabilis abba nostram deprecatus est magnitudinem, ut cuidam fideli comiti palatii nostri Ansfrido nomine aliquantum ex rebus iuris nostri, quas ipse iure beneficiario detinet, ad proprium concederemus ac per preceptum nostrum largiremur. Cuius precibus libenter ob utrorumque sincerissimam devotionem et famulatum acquiescentes hos eminentiae nostrae apices fieri decrevimus, per quos memorato Ansfrido in pago Hattuariensi et in villa que vocatur Geizefurt super fluvium Nerse mansos quatuor cum omnibus suis appenditiis, terris scilicet cultis et incultis silvis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus exitibus et regressibus nec non et mancipiis utriusque sexus ibidem aspicientibus, seu etiam et in pago Laumensi in villa Sodeia super fluvium Geldione mansum unum cum omnibus ad se pertinentibus, terris scilicet cultis et incultis silvis pratis pascuis aquis aquarumve decursibus exitibus et regressibus nec non et mancipiis utriusque sexus ibidem pertinentibus, ei ad proprium tribuimus et de iure nostro in ius ac dominationem ipsius perhenniter mansurum transfundimus, quatinus per hanc nostram auctoritatem potissimam habeat ex eisdem rebus vel mancipiis faciendi licentiam quicquid elegerit vel voluerit, sicut et de reliquis proprietatis suae rebus, remota cuiuslibet inquietudine vel contrarietate, ita tamen, ut nusquam a nostra discedat fidelitate. Et ut hec nostrae largitionis auctoritas firmior habeatur et per futura tempora melius conservetur, manu propria subter eam firmavimus et anuli nostri impressione assignari iussimus. Signum Lotharii (M.) gloriosi regis.

Hrothmundus notarius recognovi. Data V id. novembris anno Christo propitio imperii domni Lotharii piissimi regis primo, indictione IIII; actum Aquisgrani palatio regio; in dei nomine feliciter amen.